Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

nisi qui hic scriptus reperitur imperans quod illi ut legeret. At illa ait: Non didici litteras. Scio inquit, sed tamen lege. Legit illa et invenit nomen Bernhardi quondam regis tam luculentis litteris exaratum, sicut nullius ibi fuit. Postea Ludwici regis tam obscurum et obliteratum ut vix agnosci potuisset. At illa: Quid est inquid quod istud nomen tam obliteratum est? Antequam ait in Bernhardum homicidium perpetrasset nullius nomen ibi clarius erat. Illius interfectio istius obliteratio est. Vade et cave diligenter ne horum quid regem celaveris. Illa vero non ausa conticuit. Non post multum rursus admonuit eam. Que ut prius conticuit, tercia vero vice venit et dixit: Quid est quod non vis obsecundari verbo dei? Que respondit: Domine vilis sum persona et ista non audeo in medio proferre. Et hoc ait: luminum tuorum visu non gaudebis donec ea coram rege exponis. Cuius ilico pupilla caligine est obducta. Post dies multos venit in presentiam regis, cuncta indicavit, lumen quod recepit.

Passio sancte Victorie virginis. xlviii.

SANCTA Victoria virgo et martyr persecutionem Decii imperatoris victoriosissime triumphavit. Hec desponsata Eugenio viro pagano rogante Tito Aureliano qui sponsam Anatholicam virginem habebat ad suadendum eam ut ei nuberet pervenit. Cui et dixit: Audi me domina soror Anatholia. Ego christianus sum et novi quia deus nuptias non condempnat. Patriarche et prophete coniuges habuerunt et posteritas eorum a deo benedicta est. Nunc ergo audi me et accipe virum quia te non perdat quod sis christiana, sed per maritalem gratiam fiet ut ipse christianus consentiat. Hec Victoria dicens Anatholia virgo respondit: O Victoria vince dyabolum et esto victoria. Tunc quando terra vacua erat dixit hominibus: Crescite et multiplicamini et replete terram. Nunc plena terra, postquam filius dei de celo descendit cottidie clamat: Crescite in fide, multiplicamini in caritate, replete celos quia appropinquabit regnum celorum. Iterum inter hec alia sancta Anatholia intulit: Ego diem qua explevi precium ornamentorum meorum in pauperes Christi vidi prius iuvenem auro dyadematum in vestibus purpureis atque gemmatis qui grata facie et leto vultu inspiciens ait: Virginitas que non in opibus tenebratur sed semper in lumine versatur.

Hoc ego audiens evigilavi et cepi flere. Et proiciens me in pavimento rogavi dominum ut is qui michi loquebatur divinos sermones iterum prosequeretur. Sic michi oranti et prostrate idem qui ante loquebatur talia michi subsequitur: Virginitas purpurea regalis est, quam qui induit reliquis fit eminentior. Virginitas gemma est preciosa. Virginitas thesaurus est regis inmensus. Huic fures insidias tendunt. Hanc tu vigilans sollicite custodi quantumque tempus habere cognoscis instanti custodia ne perdas. His et similibus verbis et factis incitata Victoria omne precium ornamentorum suorum et ipsa distraxit pauperibus. Sicque factum est ut agente Aurelio et Eugenio sponsis earum quia nubere virgines illis Christi noluerunt a Decio imperatore urbe Roma pulse ad predia sponsorum ducerentur. Ubi fame et inedia afflicte ut vix ad vesperum modicus panis cibarius eis daretur. Nulloque pacto effici sponsi potuerunt ut vel ad nubendum vel ad sacrificandum animum earum conpellerent. Beata igitur Victoria in virginitatis proposito invincibiliter persistens post multa facta miracula, inter que plurimas virgines domino aggregaverat, percussa est gladio in corde a carnifice Taliarco, quem rogatu sponsi sui Eugenii Iulianus pontifex capitholii et comes templorum ad hoc opus direxerat. Passa est autem x. kl. ian. Corpus autem eius cum omni diligentia est curatum. Taliarcus vero percussor eius lepsus factus infra sex dies consumptus a vermibus expiravit. Beati quoque Servuli hodierna dies agitur, de quo beatus Gregorius in omelia scribit. Hic beatissimo fine glorificatus sepultus est in ecclesia beati Clementis episcopi et martiris, ubi ob commendandam eius sanctitatem ad eius tumba creberrime miracula fiunt.

.xlviiii.

Passio sancti Gregorii martiris.

TEMPORIBUS Dyocletiani et Maximiani imperatorum talis furor sacrilegis exardescebat per cunctam Ytaliam, ut una esset apud omnes ydolorum cultura, ut si quis prestratus ydolis non immolaret, penis diversis cruciaretur. Erat vir quidam nomine Flaccus qui Maximiano imperatori dixerat ut omnia ydola erigeret. Cumque introisset in civitatem Spolitanam iussit sibi tribunal in medio foro collocari et precones per omnes plateas mitti ut omnes simul cives ante vestigia eius in-